



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

103. Feria 6. Decisnanda concilia malignantium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

172 FERIA 6. DOM. 4. QUADRAG.

8. Cepisse consilium ab exitu & fine, & eo deliberasse de cōfitendo Deo: cūm eventuum rerum non sit consilij nostri, sed alienæ potestatis. Detestabor has 8. origines tanti casus.

*Cons. 3.* Tres causas, propter quas Petrus lapsus describitur. 1. coërcendos spiritus præfidentes. 2. Ad suggerendam lapsis spei indulgentiæ. 3. Ad imitandum amaritudinis exemplum. Petrum una noctis hora ad fletum monet, nos omnis. *Audeo dicere super his, esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumq; peccatum, unde sibi displiceat, qui sibi placendo ceciderunt: Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quādo flevit, qui sibi placuit, quando presumpsit.* D. Aug. Lib. 14. de Civ. D. c. 13.

MEDITATIO CIII.

FERIA 6. DOM. 4. QUADRAG.

*Declinanda concilia malignantium.*

**A**spiciam novum Concilium coactum Iudæorum adversus Dominum. Petram semper evitare similes conventus.

*Cons. 1.* Verba D. Lucae c. 22. *Et ut factus est dies, convenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Fuit hic dilemma, ut, si affereret se Christum esse, confidentius tanquam pertinacem accularent coram Pilato; si verò negaret,*

convinceretur se ipsum condemnasse, ut qui sibi ipsi esset contrarius. Non dant quietem Christo: quia ad gallicinium auroræ vexatum, mox iterum manè sistunt vexandum.

*Conf. 2. Responsum Christi Et ait illis: Si vobis dixerero, non credetis mihi: si autem interrogavero (ex Scripturis vobis ostendero, me esse illum olim à DEO promissum Patribus, atque hætenus expetitur à Iudæis Christum) non respondebitis mihi, neque dimittetis. Vtrumque Christus loquitur experienciâ: primum, Non credetis mihi: quia dixerant eum blasphemare, & quòd de seipso testimonium perhiberet: secundum, Non respondebitis mihi: quia non responderunt, quod sentiebant de baptismo Ioannis, & de loco Ps. 109. Dixit Dominus, &c. & sæpe alias convicti non cessarunt eum persequi; quia tamen venit testimonium perhibere veritati, & ne eam videretur mortis metu reticere, quia dixit, neque dimittetis; confitetur se esse Christum, ijsque horrorem incutit his verbis: Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? què ait: Vos dicitis, quia ego sum: at illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium, ipsi enim audivimus de ore eius? Agnoscam quantum malum sit vel semel à via aberravisse, dataque sceleri licentiâ quò non abeat.*